

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PHARMACOLOGICA
DE
AQUIS FERRATIS
REGNI GALICIAE

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI

DECANI,

NEC NON

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Franciscus Piatkowski,
Galicianus Stanislao poliensis.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 1. mensis Februarii 1834.

V I E N N A E.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

Nam sicut sanguis, dum e corpore animali profluit, vitae partem secum educit, ita et terra cum aquis, quas fundit, vitam suam terrestrem emittit.



Hartmann.

AVUNCULO OPTIMO

FAUTORI SUMMO

DOMINO DOMINO

JACOBO KACZOROWSKI

IN AETERNAE GRATITUDINIS ET VENERATIONIS
MONUMENTUM

IMBECILLES HASCE LABORUM PRIMITIAS

offert

devinctissimus
nepos.

P r a e f a t i o.

Ultimum, quod lex academica juveni medico, ad Doctoris Medicinae Lauream aspiranti, imponit officium est, de themate aliquo ad medicinae forum spectante disserere. Huic et ego obediens, pro dissertatione inaugurali aquas ferratas regni Galiciae selegi, ex quibus tamen illas nonnisi exposui, quae mihi majoris dignitatis esse videbantur. Ut vero in exponendis singulis aquis eo brevior esse potuissem, generalia quaedam de aquis ferratis praemisi. Hunc in scopum collegi omnia, quae in scriptis mihi obviis necessaria inveni, haecque in unum redacta, sub forma praesenti tuam, Lector benevole! implo-

rant indulgentiam; nam nihil neque
novi, neque proprii quid continent.

Si itaque, Lector benevole! bre-
vem hunc tractatum attento lustrare
vis oculo, non laborem exiguum,
sed primos conatus meos respicias
quaeso.

Dabam Viennae diebus Januarii 1834.



De aquis ferratis in genere.

Aquae soteriae, quae vim, qua organismum humanum adficiunt, salutiferam ferro debent, in iisdem contento, ferratae vel martiales dicuntur. Inter omnia tamen ferri praeparata nec ullum datur, quod efficacia sua aquas martiales superaret; continent enim hae aquae ferrum, acidi carbonici ope perfecte solutum et ita praeparatum, ut digestionem et adsimilationem facilius admittentes, salutare effectus, quos ferro debemus, per totum corpus vivum citius diffundant. Sicut vero non omnis aqua, quae ferrum continet, ad ferratarum tribum refertur, ita etiam non omnis aquarum martialium virtus a solo dependet ferro, in iisdem soluto; nam insunt his aquis, praeter magnam acidi carbonici quantitatem et alii sales, quorum concursu internus quidam conflictus in aquis ferratis sustinetur, quo ferri effectus intenditur, multiplicatur, vel vero mitigatur, semper tamen ferri virtus princeps est, et diutius constat. Diversa ferri in

his aquis quantitas variaque ad reliquas partes constitutivas ratio harum effectus definiunt ita, ut quo major in illis ferri et quo minor salium vis est, eo majori jure roborantium efficaciorum titulum sibi vindicent; quo magis contra salium reliquorum ratio in illis crescit, ferri vero potestas recedit, eo proprius etiam ad solventium tribum ipsae hae aquae accedant.

Sed et diversus, quo aquae ferratae gaudent, calor gradus earum in corpus humanum vivum efficaciam aliam atque aliam constituat oportet; frigidae enim e terra erumpentes et potu usurpatae, effectus exerunt his aquis proprios, illae vero, quas vel natura, vel ars calidas reddit, et quae lavando simul adhibentur, lento magis ferri effectui roboranti fugacem caloris stimulum adplicant.

Hos aquarum ferratarum effectus praeter caeteris experiuntur organa digestionis, assimilationis, resorptionis, secretionis, et excretionis, quorum functiones stimulo, quem edunt, impellunt. Ipsum autem nisum plasticum, et, quas hic producit, materias disponunt ita, ut harum salibus suis, qui suum cum illis conflictum citius absolvunt, cohaesionem primario moderent, deinde, separatim mox et eliminatis salibus, ferro autem assimilato et nexu constante cum sanguine conjuncto, hujus et eorum, quae inde secernun-

tur et nutriuntur, elaborationem adjuvent, talique pacto robur organicum et vitale per totum organismum vivum diffundant.

Ex hoc generali aquarum ferratarum agendi modo morbi simul intelliguntur, qui aquis his cedunt. Magnae dignitatis et virtutis remedia in morbis praebent, qui in vera debilitate vitali cum nisus plastici et restorationis languore radicantur, quos tamen singillatim hic enumerare superfluum esse censeo, dum in exponendis, quas mihi proposui aquis, singulae aquae, suos subjungam morbos.

Quamvis per morbum indicatae aquae martiales, non ab omnibus tamen hominibus bene feruntur; illis enim, in quibus sanguis et systema sanguiferum jam absolute praevalent: plethoricis, temperamento aut sanguineo aut cholericis praeditis, ad inflammationes, haemorrhagias activas, pronis adversantur. Sed nec debilioribus omnibus eadem conveniunt aquae, quae aegris stimuli impatientia in vasis sanguiferis, praepremis emergente, laborantibus et inde ad orgasmum, inaequalem sanguinis distributionem, ad haemoptisim, fluxum haemorrhoidalem aut menstruum profusum, abortum dispositis damnum potius, quam levamen et medelam adferunt.

Duplex est aquarum ferratarum applica-

tio ; ut quae potu hauriuntur et lavando adhibentur.

Ut tamen internus harum aquarum usus in aegri salutem cedat, certis subjiciendus est regulis, quarum praecipuas breviter nunc attingam.

Dosis quotidiana, quae per morbi et aegri naturam, per effectus ipsius aquae, per diversas tandem circumstantias a medico definienda venit, incipit cum libra una et augeatur paulatim ad libras quatuor.

Haec dosis generalis in plures portiones minores, aegri gustui et ventriculi sensilitati adcommodatas dividitur, quarum singula ab initio omni media hora, serius omni quadrante horae repetitur.

Qui aquam ex fonte haustam illico bibit, omnem aquae efficaciam experitur; cui tamen major acidi carbonici copia systema sanguiferum movet, sanguinemque justo magis exagitat, aquam bibat, quae aëri diutius exposita, majorem hujus acidi partem amisit.

Macilentis, hecticis, ventriculo sensiliore instructis aqua quidquam calefacta, vel lacte tepido remixta, vel additis aliquot cochlearibus sacchari pulverisati temperata, potui inserviat.

Viris hydrophobis, vini usui adsuetis, torpidis frigidisque vinum aquae instillatum non nocebit, dummodo vinum vetustum, non

adulteratum, nec majori quantitate aquae admisceatur; alias in potentiam potius nocentem, quam in medicamentum convertitur.

Tempus matutinum inter quintam et septimam horam et ventriculus jejunus, aquae usui magnopere favent; si tamen ventriculus vacuus male exinde adficeretur, assumpto prius jentaculo modico, aquae effectui exponatur.

Aquae haustae resorptionem omnemque effectum salutarem moderatus, nunquam vero ad exaestuationem usque protractus corporis motus, in aëre puro, sicco, moderate calido institutus, adjuvet. Damnandus est itaque mos, saltando corporis motus ad defatigationem usque exercere, curae scopo minime respondens.

Aeger sub usu harum aquarum a refrigeratione sese defendat; quare consultum est, hanc curam illo anni tempore suscipere, quo aëris temperatura minimis obnoxia est vicissitudinibus. Hunc in scopum Junius, Julius, Augustus et medius September, aliis praeferuntur mensibus.

Victus morbo, aegro, consuetudini respondeat, sit simplex, sed nutriens et digestu facilis. Vini aliorumque spirituosorum usui nonnisi urgente consuetudine, moderatissima tamen dosi indulgeatur; ipsae enim

hae aquae, acido carbonico potentiores, non adsuetorum sensus obnubilant.

Animus sit a curis liber, serenus, nec justo plus effervescat, nec vero ad tristitiam usque deprimatur. Vitentur ideo ludi omnes, ubi denegato libero corporis motu, non solum major sanguinis ad caput et pectus adfluxus adlicitur, sed et animus diversissimis vexatur pathematibus.

Has regulas generales medicus in casu singulo pro vario, quem intendit, scopo, diversis subjiciet modificationibus.

Phaenomena, ex quibus concludere licet, quod aquae ferratae bene feruntur, sunt: sensus ponderis in ventriculo absentia, appetitus adauctus, nullae congestiones versus caput et pectus, regularis alvi excretio cum faecibus nigre tinctis, ructus copiosi, aërem hepaticum redolentes, flatu odoris ingrati.

His praemissis, praecipuas nunc regni Galiciae aquas ferratas exponam.

Aqua Krynicensis.

Aquam hanc ante centum annos magis ab aegris usitatam fuisse, quam ante paucum adhuc tempus, ex iis concludere licet, quae Rzączyński in suo Auctuario historiae naturalis de illa refert. Quod haec aqua obli-

vioni tradita fuit, non aquae, sed iis potius, ad quos fontes hujus aquae salutare pertinebant, adscribendum est; nihil enim praestitum erat, quod aegrorum, has aquas visitantium, inserviret commodis. Anno 1784 regimen Austriacum suam attentionem in hos fontes direxit, et postquam repetitis vicibus pervestigati, virtutem suam comprobaverunt, multa facta sunt et adhuc fiunt, quae aditum ad ipsos fontes ex omni regione faciliorem, moram in hoc loco jucundior, ipsum autem aquae usum commodior reddere possunt; et sic aqua haec famam iterum recuperavit, quam meretur.

Aqua Krynicensis prope pagum Krynica, in circulo Sandecensi situm, quinque milliaria ab ipsa urbe Sandec remotum, in angusta valle, collibus circumdata, ad radices horum collium e duobus fontibus cum strepitu continuo et sibillante prorumpit.

Aqua ex fonte hausta limpida est, pellucida, bulliens, saporis grate aciduli, pungentis, postea vero quidquam adstringentis. Odor peculiaris in vicinia fontium, praesertim ad vespere, acidum hydrothionicum redolet, quin tamen per analysim chemicam sulfuris vel acidi hydrothionici vestigium inveniri posset. Quietis commissa ad fundum et parietes receptaculi copiosum deponit sedimentum coloris aurantiaci, quo animalcu-

la et plantae impositae incrustantur. Temperatura fere semper constans est 7° R. Ponderus specificum cum aqua destillata comparatum, est 1,074.

Examini chemico a celeb. Dr. Schultes subjecta haec aqua, in sexdecim unciis continet:

Sodae muriaticae	0, 61 gr.
Calcareae muriaticae	0, 57 —
Sodae carbonicae	1, 28 —
Calcareae carbonicae	12, 16 —
Ferri carbonici	0, 33 —
Siliceae	0, 17 —
Materiae extractivae	0, 18 —
Argillae bitumine impraegnatae	0, 32 —
	<hr/>
	15, 42 gr.

Acidi carbonici 45, 3 poll. cub.

In centum partibus sedimenti ad receptaculum depositi continentur:

Ferri carbonici	27, 5 gr.
Calcareae carbonicae	24, 5 —
Calcareae muriaticae	0, 96 —
Sodae muriaticae	1, 27 —
Siliceae	24, 5 —
Materiae extractivae	0, 32 —
	<hr/>
	79, 05 gr.

Ferrum itaque et acidum carbonicum, quae in aqua Krynicensi praevalent, vim huic aquae conciliant stimulantem et mere roborantem, quo respectu aliis ejusdem in-

dolis aquis: Spaanae, Pyrmontanae, Bartfeldensi etc., non solum non cedit, sed multas alias longe superat. Merito igitur huic aquae inter efficacissimas Galiciae aquas feratas primus conceditur locus; experientia enim confirmatum est, centenos atque iterum centenos, qui dubiam et vacillantem salutem debitis sub circumstantiis huic commiserunt aquae, mirum in modum ad integrum restitutos fuisse.

Morbi, in quibus aqua Krynicensis effectus exerit desideratos, sunt: Morbi in organorum digerentium debilitate radicati, uti dyspepsia, cardialgia, flatulentia, abundans acidi et mucii tenacis in primis viis secretio, morbus verminosus. — Profluvia passiva diversi generis; huc praeprimis spectant fluor albus et blennorrhoea urethrae chronica, quae specificam fere virtutem ab usu hujus aquae experiuntur. Sed et pollutio morbosa, sudor profusus, fluxus menstruus et haemorrhoidalis limites excedens, metrorrhagia, ipsa haemoptisis huic cedunt aquae. Catarrhus chronicus, incipiens phthisis pituitosa suum hic inveniunt medicamentum. — Cachexiae variae, uti scrofulae, rhachitis cum incipiente columnae vertebralis incurvatione, chlorosis, leucophlegmatia, arthritidis et rheuma chronicum. — Morbi systematis nervosi indolis asthenicae: hysteria,

hypochondria, melancholia, vertigo, cephalalgia, tremores et ipsa paralysis. — Morbi organorum urinalium et genitalium ex illorum debilitate et languore procedentes: abundans mucii et sabuli in urinis productio; amenorrhoea, sterilitas, impotentia virilis. — In debilitate universali ex sanguinis vel aliorum humorum nobilium jactura; in reconvalescentia ex febre nervosa, intermittente, hydrope, diarrhoea chronica, partu difficili, vel ex alio quocunque morbo graviore, aqua Krynicensis remedium suppeditat, quo non superius aliud. — Tandem externe in ulceribus scorbuticis malignis, cum excrescentiis fungosis, debilitate vel universali vel locali sustentatis, forma lotionum cum fructu adhibetur.

Quem usus internus praestat, effectus salutaris hinc inde externo adjuvatur, aquam aut frigidam, aut calefactam in balneum adhibendo.

Quocunque autem modo usus hujus aquae instituatur, regulis supra expositis subjiciatur, necesse est.

Aqua Szczawnicensis.

In eodem circulo Sandecensi, quinque milliaria ab aqua Krynicensi, in pago Szczawnicę e duobus fontibus haec aqua scaturit,

quorum alter fons Josephae, alter fons Stephani audit.

Aqua fontis Josephae potui praesertim inserviens, pellucida est; saporis salsi sed grati; temperaturae 8° R.

Secundum Dr. Herbich in sexdecim unciis continet:

Sodae carbonicae	38, 96 gr.
— muriaticae	39, 44 —
Calcareae carbonicae	31, 28 —
Materiae extractivae, Siliceae et materiae perditae	2, 32 —
	<hr/>
	112, 00 gr.

Acidi carbonici 24, 8 poll. cub.

Aqua fontis Stephani aequae pellucida, bulliens tamen, odoris quidquam hepatici, saporis minus salsi; temperaturae 7° R.

Analysis chemica secundum Dr. Herbich in eadem aquae quantitate obtulit:

Sodae carbonicae	18, 472 gr.
— muriaticae	23, 316 —
Calcareae carbonicae	12, 992 —
Materiae extractivae, Siliceae et mat. perd.	0, 72 —
	<hr/>
	55, 500 gr.

Acidi carbonici 26, 40 poll. cub.

— hydrothionici 1, 20 — —

27, 60 poll. cub.

Analysis hujus aquae a D. Schindler quon-

dam proposita in centum libris Vindobon. $\frac{1}{64}$ semiunciam ferri exhibuit.

Ut igitur et aqua Szczawnicensis aquis ferratis adnumeranda venit; ob praevalentem tamen salium rationem ad solventium tribum propius jam accedit. Quare in morbis, qui cum vasorum lymphaticorum, glandularum, viscerum abdominalium obstructione, induratione, tumore incedunt, aquae Krynicensi, quae in similibus casibus contraindicata est, cum optimo successu substituitur.

In hunc scopum ut plurimum bibitur haec aqua vel sola, vel cum lacte aut sero lactis remixta; rarius in balneum adhibetur. Haec aqua per Galiciam divenditur.

Aquae Dornaenses.

Tota vallis Dornaensis, in circulo Bucovinensi, praesertim ripa dextra Dornae e pluribus fontibus aquas ferratas fundit, quorum illi duo, qui prope Dorna-Kandreny et Dorna - Watra scaturiunt, nostram hic retinebunt attentionem.

Proprietates físicas cum aliis aquis ferratis communes habent. Analysis chemica a Dr. Pluschk instituta in sexdecim unciis aquae fontis Dorna - Kandreny exhibuit:

Sodae carbonicae	5, 4 gr.
Calcareae muriaticae	0, 05 —
Sodae —	0, 38 —
Calcareae carbonicae	6, 8 —
Ferri carbonici	0, 4 —
Siliceae	1, 0 —
	<hr/>
	14, 03 gr.

Acidi carbonici 49, 8 poll. cub.

In sexdecim unciis aquae fontis Dorna-

Watra continentur:

Calcareae sulfuricae	0, 090 gr.
Magnesiae muriaticae	0, 110 —
Sodae —	0, 330 —
Sodae sulfuricae	0, 150 —
Calcareae carbonicae	0, 430 —
Magnesiae —	0, 460 —
Ferri muriatici	0, 138 —
— carbonici	0, 538 —
Materiae extractivae	0, 070 —
	<hr/>
	2, 316 gr.

Acidi carbonici 6, 00 poll. cub.

Vim itaque medicam aqua fontis Dorna-Randreny acido carbonico praevalenti, aqua autem fontis Dorna-Watra ferro exsuperanti debet.

Commendantur hae aquae praecipue in paralysi nervosa, hypochondria, hysteria, in dolore capitis nervoso, in debilitate universali.

Aqua fontis Dorna-Watra balneo praeprimis inservit; pro potu ab initio aqua fontis Dorna-Kandreny, serius aqua fontis Dorna-Watra adhibetur.

Ilae aquae in Bucowina et magna parte Galiciae aquam Rohitschensem perfecte suppleant.

Aqua Korsowiensis.

In circulo Ztoczowiensi duo fontes aquam hanc largiuntur, quae a Dr. Titz chemice examinata eam obtulit partium constituentium rationem, ut in libris tribus et unciis decem aquae fontis, qui viae prior est, contineantur:

Calcareae sulphuricae 2 gr.

Sodae carbonicae 2 —

Ferri carbonici 6 —

10 gr.

Acidi carbonici 30 pol. cub.

Eadem quantitas aquae fontis, in horto scaturientis, exhibet:

Calcareae sulphuricae 2 gr.

Sodae carbonicae 2 —

Ferri carbonici 7 —

11 gr.

Acidi carbonici 26 pol. cub.

Usus hujus aquae idem est, ac ille aquae

Krynicensis; ob vim tamen magis solventem forma balnei adhibita, in morbis glandularum et systematis lymphatici conducit.

Aqua Jaroslaviensis.

Ante paucos adhuc annos in suburbio Jaroslaviae circuli Przemyslensis aqua detecta est, quam aegri vicini cum emolumento in usum internum ducunt. Pharmacop. Jaroslav. Bojer in libris pharm. 7 unc. 3 et drach. 7 hujus aquae invenit:

Magnesiae carbonicae	10, 00 gr.
Calcareae carbonicae	3, 75 —
Ferri carbonici	1, 00 —
Siliceae	1, 25 —
	<hr/>
	16, 00 gr.

Scaturiunt plures adhuc aquae ferratae e terrae sinu regni Galiciae in aegrorum salutem, quas tamen, cum minoris sunt dignitatis, ne limites mihi propositos transgrediar silentio praetereo.

L i t e r a t u r a.

Gabriel. Rzączyński Auctuar. histor. natur. curiosae etc. opus posthumum Dantisci. 1742. pag. 183.

Hein. Joh. v. Crantz Gesundbr. der österr. Monarch. Wien 1777. 4to. pag. 233.

Carl. Theod. Titz, Beschreibung des Korsower mineralischen, eisenhaltigen Wassers. Lemberg 1800. 8.

I. A. Schultes, über die M. Quellen zu Krynica im Sandecer Kreise, Wien. 1807. 8.

Fr. Stirba v. Stirbitz d. M. Quellen zu Krynica. Lemberg 1816. 8.

Fr. Stirba v. Stirbitz, in: Beobachtungen und Abhandlungen aus dem Gebiete der gesammten Heilk. von Oester. Aerzten. Herausgegeben von den Directoren des Studiums der Heilk. Wien 1826. B. V. S. 299.

Die besuchtesten Badeörter u. Gesundbrunnen d. öster. Kaiserthums. 2 Theile 1821. Th. II. S. 307.

Ignatz. Joan. Ressig. diss. inaug. med. sistens brevem expositionem aquar. min. regni Galiciae. Vindob. 1827. 8.

- Med. Jahrb. d. k. k. öster. Staaten. Wien 1818,
B. IV. St. 4. S. 135. — 1830. Bd. I. St. 3. S. 182.
Leop. Fr. Herrmann, System d. pract. Arzneymittellehre. Wien. Bd. III. S. 1046.
E. Osann physikalisch - medicinische Darstellung der bekannten Heilquellen der vorzüglichsten Länder Europa's. II. Thl. Berlin 1829 — 32.



Theses defendendae.

- I. **I**nter ferri praeparata aquae soteriae martiales principem tenent locum.
 - II. Non omnis aqua soteria, quae ferrum continet, ferratae nomen meretur.
 - III. Acidis virtus roborans non convenit.
 - IV. Si physiologia aequali cum anatomia progrediretur passu, tum clarior esset multorum morborum pathologia et certior illorum therapia.
 - V. Si cui, certe medico usus nicotianae nocet.
 - VI. Theoria morbum cognoscere, praxis illum curare, utraque conjuncta morbum sanare docet.
 - VII. Venaesectio est etiam remedium antiabortivum.
 - VIII. Firma diagnosis rationalem therapiam, ast incertam semper admittit prognosin.
 - IX. Non omnis plica pro plica polonica habenda est.
 - X. Non dantur certa amauroseos signa.
 - XI. Etiam absque medicamento medicus rationalis multos aegros sanat.
 - XII. Sacrum Baptismi lavacrum hyeme in ecclesiis peractum, multorum morborum infantilium fons.
-